

547.

QVAESTIONEM JVRIS:

1734 30
209246

AN QVIS IN EMTIONE VENDITIONE,
CVI MVLTA POENITENTIALIS

(Ein Reu-Kauff)

ADIECTA EST, ALTERA PARTE
INVITA, POENITERE, ET, SOLVTA HAC
MVLTA, RESILIRE A CONTRACTV
POSSIT?

AFFIRMAT

ATQUE

CONTRA COMMVNEM NEGANTIVM SENTENTIAM

P R A E S I D E

IO. GOTTLLOB WEIDLERO

J. V. D.

IN AVDITORIO JCTORVM

DIE AVG. MDCCXXXIV. BII BISAGLIV

PUBLICE DEFENDIT

THEODERICVS Lebrecht SCHMIDIUS,
FLVRSTADIO. THVRINGVS.

WITTENBERGAE

IN OFFICINA SCHLOMACHIANA

4033



ADIECTA EST ALTERA PARTE
TINATA PONENTRE ET SOLITA HAC
MUTA RESISTERE CONTRACTA

Thesis I.



Hil a Jure ejusque analogia tam alienum est, quod non ex Jure, vel potius sub specie Juris sumpnumero defendatur, & nulla sententia tam absurda legibusque contraria est, quæ patronos suos propugnatoresque non inveniat.

Thesis II.

Notabile hujus asserti exemplum nobis præbet per vulgata illa fereque communis Doctorum opinio, quam multam poenitentiam contractui emtionis venditionis adiectam (der Neu-Kauff das Neu-Geld) facultatem poenitendi hanc inferre auctorant, ac uno quasi ore profitentur.

The-

WITTENBERGAE
IN OFFICINA SCHLOMACHIANA

Thesis III.

Ita enim non solum vulgus Doctorum, sed, quod
magis miraberis, ipsi celeberrimi JCTI & maxima Juris
prudentiae nostrae lumina v. c. Carpzovius, Hahnius, Da-
nillus, Frantzkius, Bachovius, Lauterbachius, Berge-
rus, Wernherus, aliique complures statuunt, ac thesin
suam innumeris dicasteriorum praetudicis corroborant
atque confirmant.

Thesis IV.

Hinc etiam tam altas in foro radices egit haec opinio,
ut hodienum in pronunciando observetur, & pro verita-
te quasi indubitata ab omnibus venditetur.

Thesis V.

Verum enim vero, nec auctoritas JCTORVM, nec pra-
xis contraria nos moveret, quo minus in fundamento re-
ceperimus sententiae paulo curatius inquiramus, & quam
lubrica ea sint, demonstremus paucis; siquidem ut in pro-
verbio est, non auctoritatibus pugnandum, sed ipsis legie-
bus earumque rationibus ac argumentis.

Thesis VI.

Equidem inficias eundum hanc est, dari nonnulla
eaque sat speciosa argumenta, quibus opinionis hujus
fautores nituntur & se adversus sententiam nostram de-
fendere allaborant.

Thesis VII.

Provocant nempe ad ingentem legum farraginem,
quarum vel sola recensio paginam satis amplam requi-
reret;

A 2

reret; At enim vero, quotquot illarum sunt, nihil minus, quam thema probandum concernunt, sed omnes ac singulæ de arrhis emtionum, non autem de multis poenitentialibus agunt, adeoque ne opus quidem est, in resolutione earum multum desudemus.

Thesis VIII.

Confundunt itaque Doctores parti contrariæ additi constitutionem arrhæ (das Hand-Geld/ Kauff-Schilling) cum multa poenitentiali (dem Neu-Kauffe.) Illa poenitentiam omnem excludit, hæc vero infert eam atque inducit.

Thesis IX.

Objiciunt porro adversarii inter eosque inprimis Carpzovius P. 2. C. 33. d. 14. n. 10. tritissimum illud brocardicum Juris: quod ad corroborandum actum additum est, illud in confirmationem ejus vergere non debet; sed quis non perspicit, regulam istam huc trahi plane non posse, propterea, quod ante omnia demonstrandum sit, constitutionem multæ poenitentialis corroborandi contractus causa adjici solere. Probabilius enim est per expressionem multæ poenitentialis hoc tacite agi inter partes, ut hanc multam solventi liberum sit recedere a contractu. Vno verbo: patet exinde haud difficulter, Carpzovium dicto loco petitionem principii committere & idem voluisse probare per idem.

Thesis X.

Nec ea Carpzovii magis nos stringit ratio, absurdum reputantis, ut propter arrhas multasque poenitentiales, quæ

in

in re plerumque exigua consistant, contractus de rebus
preciosissimis maximiique valoris irritentur. Nam, ut ta-
ceam, magnam quoque pecunia summam & quæ cum
pretio proportionem habeat, poenæ loco posse constitui,
hæc res non ex proportione multæ cum pretio, sed po-
tius ex conventione partium dijudicanda est, utpote quæ
utramque hic paginam & ius inter contrahentes facit; si-
quidem pacta dant legem contractui & perinde haben-
tur ac si de natura contractus sint L. 23. in fin ff. d. R. J.
Nec habent de quo conquerantur partes, sed sibi met ip-
sis imputent, quod ita convenerint & contractui emtio-
nis ejusmodi pactum poenitentiale adjecerint.

Thesis XI.

Instant præterea nonnulli fortius sententiæque suæ
præsidium tam in L. 47. ff. de act. emt. vend. quam in L.
6. Cod. de rescind. vend. querunt, sed irrito rursus cona-
tu. Priorem legem enim quod attinet, de alio plane casu
illa, quam de quo nobis in præsentiarum sermo est, dispo-
nit. Ventilatur nimirum ibidem quæstio: num heres il-
lius, qui accepta pecunia ad materias vendendas sub poena
certa, ita, ut, si non integras re præstaverit intra statuta
tempora, poena conveniatur, datis partim materiis de-
cessit, tam ex pacto penaliquam actione emti venditi
conveniri queat? & utrumque a JCto Paulo affirmative
deciditur, idque rectissime, quoniam heres personam de-
functi repræsentat, & ad facta ejus præstanta pactaque
adimplenda ipso Jure est obligatus. Nec ad rem facit, nul-
lumque adversus nos argumentum exinde desumi potest,
quod in dicta lege heres tam in poenam a defuncto con-

A 3

ven-

ventam quam ad implendum contractum condemnatur,
quia multa isthac in casum solius moræ, non autem in ca-
sum poenitentia a contrahentibus statuta sunt.

Thesis XII.

Eodem quoque modo sese res habet cum altera le-
ge, quam pro thesi sua stabilienda Doctores plerumque
allegare supra dictum est. Conditores enim hujus sanctio-
nis Dioclet. & Maxim. Imp. regulam saltem ponunt: quod
etiamsi vendor post celebratum contractum duplum of-
ferat pretium emtori, hic nihilominus ad rescindendam
venditionem invitus urgeri non debeat. Nec in mentem
nobis venit, negare hoc ipsum, præsertim cum hæc legis-
tatorum assertio ratione juris firmissima nitatur, quod
nempe nemini invitò ius semel quæstum possit auferri;
sed si sit hæc lex de exceptione & eo casu, quem nos in
præsenti præstruimus, ubi nimurum partes emissionem ven-
ditionem celebrantes de certa iultra propter poenitenti-
am futuram solvenda paciscuntur. Breviter: regulam in
hæc lege propositam haud quaquam convellimus, excep-
tionem vero expressa contrahentium voluntate sufful-
tam, salva eadem, stare puramus.

Thesis XIII.

His igitur, quæ obstare videbantur, remotis, tuto
colligimus atque asseveramus, quod constitutio multæ poe-
nitentialis contrahentibus regulariter facultatem poeniti-
endi tribuat, & quod hac poena soluta a contractu ven-
ditionis perfecto etiam alterutro invito discedere liceat;
Id quod vel ex ipsa vocis Germanicæ Neu-Rauß / Neu-
gelds /

gelds, etymologia & nativa vocabulorum significatio-
ne haud obscure elici atque probatum dari potest.

Thesis XIV.

Interim tamen nec illud ambigendum est, ejusmo-
di pactum poenale ira concipi & illa sub clausula iniiri pos-
se, ne quis contrahentium poenitere unquam ac recede-
re ab emtionis contractu debeat. Quandoquidem liberum
omnino est pacientibus, conditiones atque leges quas-
cunque contractibus adjicere ac voluntatem suam certis
circumscribere limitibus.

Thesis XV.

Cave autem putes, in emtionibus, multa poenitenti-
ali munitis, facultatem illam poenitendi omni prorsus tem-
pore competere. Hoc enim poenitendi jus tamdiu saltet
durat, quamdiu res adhuc tradita aut pretium exsolutum
non est. His autem factis omnis poenitentiae faculta ces-
sat. Quam enim semel elegerunt contrahentes, non pos-
sunt amplius ex poenitentia mutare voluntatem, quod
facti jam sunt domini, vendor scilicet pretii, & emtor
rei venditae, adeoque neutri illorum contra voluntatem
possessio ipsius auferenda est, alias dominia rerum plane
forent incerta atque confusa, id quod autem jura nostra
maxime detestantur.

XVI.

Ceterum ex supra dictis facile liquet, quod cautela
illa, quam suppeditat Illustris de Berger in Oecon. Jur.
lib. III tit. V. th. 7. p. 652. ubi nempe commendat, adjici
contractui emtionis pactum, ut, soluta multa poenitentia-
li,

li, a contractu, altero quamvis invito, liceat resilire, tuto possimus superfedere, cum per deducta omnis regulariter constitutio multæ poenitentialis facultatem poenitendi innuat, potestatemque a contractu recedendi inferat. Nec ex eadem ratione opus est, quod idem illustris Bergerus in supl. ad E. D. F. P. 2. tit. 42. p. 846. cautionis loco præcipit, ut ninirum in ejusmodi casibus reo jusjurandum ita deferatur & dicetur: daß er diese Worte dergestalt/ daß/ wenn er den Neu-Kauff erlegen würde/ so dann ihm von dem Kauff Contracte hinwieder abzugehen nachgelassen seyn solte/ verstanden habe.

Thesis XVII.

Hæc igitur pro instituti huius ratione temporisque penuria dixisse sufficient, reliquis & posterioribus hujus doctrinæ capitibus in aliud tempus reservatis.



Wittenberg Diss. 1734

ULB Halle
005 847 494

3



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Centimetres
Inches

Farbkarte #13

EM JVRIS:

1734 30
209246

NE VENDITIONE,
ENITENTIALIS
Kauff)

ALTERA PARTE
ET, SOLVTA HAC
CONTRACTV

?

AT

NTIVM SENTENTIAM


D E

WEIDLERO

JCTORVM

CCXXXIV. 1616
NDIT

ht SCHMIDIUS,
RINGVS.


AE
MACHIANA

4033